(18

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE CLAVO SECALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS RICARDUS PHILP,

Anglus,

VALETUDINARII EDINENSIS CHIRURGUS DOMESTICUS,

CUI OBSTETRICIUM EXERCERE PERMISSUM,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDIN. SOCIUS EXTR.

COLLEGII REGINÆ CANTABRIGIENSIS ALUMNUS.

Res junctum optima quaeque aliquid mali habere videtur,
Sic ibi spina latet, carpimus unde rosam.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

JACOBO PHILP,

PATRUELI SUO,

ATQUE

JOANNI JOHNS,

AVUNCULO,

VIRIS

MAGNA INTEGRITATE ET BENEVOLENTIA

CONSPICUIS,

HOC PARVULUM,

AMORIS ANIMIQUE GRATI

MONIMENTUM,

DEDICATUM VOLUIT

AUCTOR.

SAMUELI JEUELLIO, CHIRURGO,

OPTIMO VIRO

ET

QUOD VIRTUTIS QUASI DOCUMENTUM

SI NON ALIA PLURIMA FORENT

SARISBURIENSEM ILLUM CLARISSIMUM

SANGUINE CONTINGENTI

HOC

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

INDICIUM

DEDIT

F. R. P.

APPENDIX.

For the following interesting account the Author is indebted to the kindness of Dr. D*UNCAN*, *Jun.*

Experiments and Observations on the Effects of Ergoted Rye upon Man and other Animals, &c. (*From Rust's krittisches Repertorium.*)—From these experiments, apparently conducted with every precaution necessary to ensure an accurate result, it follows that ergoted rye really exerts a very pernicious influence upon the animal economy. It is the more necessary to call the attention of the reader to this subject, because many authors have denied, and all have misstated, the morbid symptoms produced by this substance. The following experiments, therefore, cannot fail to prove interesting to the profession.

1*st Experiment.* On the 21st of July, an ounce of spurred rye was infused with 1¼lb. of water; the infusion had a slight tinge of a violet colour, a very disagreeable smell, and unpleasant insipid taste. Four healthy persons experienced no ill effects from a dose of two coffee-cups full of this infusion.

2*d Experiment.* On the 20th July, an infusion was made with 2lb. of *boiling* water, and 2 ounces of ergoted rye; this infusion was stronger, of a deeper colour than the first, and had a still more unpleasant smell and taste. At 9 o'clock in the morning, six persons took each three cups full of this infusion. After the expiration of two hours, three complained of a feeling of heat in the abdomen, and more particularly in the epigastrium, together with a general sensation of uneasiness, considerable nausea, and inclination to vomit. These symptoms subsided before noon, at which time these three gentlemen sat down to dinner with a good appetite. The other three did not experience any annoyance, except a feeling of warmth, and excitation in the region of the stomach.

3*d Experiment.* As the very disagreeable smell and taste of the infusion had excited a feeling of disgust, it was determined to use the ergoted rye in substance. On the 4th of August, five persons took each two drachms of the latter, spread on three slices of bread and butter. These five, whom we shall call A, B, C, D, and E, wrote down the following account of what they experienced: *A*, in the course of one hour, felt a slight sensation of pain in the epigastrium, together with symptoms of determination to the head, such as vertigo, increased warmth, and redness of the face, &c. In a short time after this he had a natural stool. At ½ past 11, he was annoyed by a considerable dryness of the throat and mouth, periodical pains in the belly, and repeated eructations of an unpleasant taste; at noon, slight nausea; increased flow of saliva, some inclination to vomit, and fetid flatus. In half an hour more, the tormina and borborygmi increased, the nausea continued, and the head became more engaged. At 1 o'clock, repeated thin stools, voided with some tenesmus. At 2 o'clock, when he dined, all these symptoms had disappeared, leaving no other inconvenience but a great thirst and occasional griping. *B* experienced, in half an hour after the dose, a feeling of increased warmth in the epigastrium, and dryness of the mouth. This was soon succeeded by an increase of saliva, repeated eructations, and slight nausea;

these symptoms increased until about 11 o'clock, when he felt inclined to vomit. He sought relief by walking about in the open air, but in vain, and soon after vomited, together with other matters, a portion of the bread. At ½ past 11, he vomited the remaining portion; and in ten minutes after he vomited a third time, with much retching. As his stomach was previously emptied, the third fit of vomiting only discharged mucus. The sickness now decreased, but some nausea and an increased flow of saliva continued the whole day, during which he felt no desire for food, and in the evening still complained of weakness. In *C's* case, the nausea, increased flow of saliva, tormina, and headach, commenced in one hour after the *dose*. He felt himself so sick in the stomach, that he could procure no relief, either by an horizontal position, or by walking about in the open air. The nausea and headach, together with violent pain in the abdomen, continued until 2 o'clock, when he dined, but, of course, without feeling any relish for his food. After dinner, however, he found himself somewhat better, and a few loose stools about eight in the evening were followed by complete relief. *D* said, that in half an hour after swallowing the ergoted rye, he felt a sensation in his stomach, as if he had not eaten any thing for several days. This sensation soon arose to actual hunger, so that at 11 o'clock he felt himself obliged to eat his dinner, which he did with a good appetite. In a quarter of an hour after dinner, he felt himself sick in the stomach; experienced an increased flow of saliva, and considerable pain in the belly; and in a short time he vomited what he had eaten. The vomiting soon recurred, and the nausea and tormina continued until 5 P.M., when he had a rigor of several minutes duration, followed by a moderate sweat, after which the pain ceased, and he no longer found himself unwell. *E* felt an increased warmth in the epigastrium at 10 o'clock, and griping pains; his pulse too was hurried, and his face warm and red: at half past 10, he experienced a disagreeable sensation in the head, soon followed by a headach, and a sensation of dryness and burning heat in his mouth and throat. The latter were, in the course of half an hour, succeeded by an increased secretion of saliva and mucus, which made it necessary for him to spit constantly. This was accompanied by severe pains in the epigastrium, and nausea, which, at eleven, was very distressing. The tormina became now so painful, that he could no longer hold himself erect, and, even when in bed, he was obliged to lie with his body bent towards his legs. Although the nausea increased, yet he could not vomit, even with the assistance of tickling the fauces, so that from 11 to 12 o'clock his situation was truly pitiable; towards one, some thin and fetid stools, preceded by borborygmi and flatus, were procured.

These experiments fully establish the pernicious effects of ergoted rye, and others made by the same gentlemen prove that it loses its pernicious qualities when *thoroughly roasted*, for they experienced no bad effects from doses of two drachms of the dried (gedörrten) powder. It was likewise proved that the activity of this substance is not impaired by keeping for two years. A number of experiments were likewise made on men and animals, with bread made of ergoted rye, and its bad effects were precisely similar to those already detailed. Fresh bread, still moist and warm, seems its most active vehicle.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CLAVO SECALIS.

Auctore Francisco Ricardo Philp.

Huic, quidquid sit, de quo pauca proponere constitui, multa nomina imposuerunt illi, qui de ejus natura et facultatibus scripserunt: appellatur enim clavus secalinus, secale luxurians, et secale cornutum, atque alia, quae profecto hoc loci referre ne ad rem quidem pertinet.

Funginum quiddam est in graminum, maximeque secalis, flosculis innascens, unde nomen habet: in pluviosis temporibus, locisque paludosis, magis abundat; maxime vero in Gallia, Germania, et America.*

* Dict. de Med. art. Ergot.

Quod ad speciem et magnitudinem spectat, varium est: in secali aliquantulo magis et longum et curvum plerumque nascitur, et idem sulculo quasi ex longitudine striatum: modo vix ultra glumam excrescit; modo duos amplius pollices explere dicitur.

Intus albidum est; extra fuscum, polline quodam nigricante obductum; ab utraque parte violaceo colore nonnihil tinctum. Fragile est, et durum, atque corneolâ fere substantiâ. Gravissime olet, at ne id quidem nisi magna ejus copia adest. Gustatum leniter mordet.

Clavi, qui vocantur, in singulis spicis interdum singuli aut bini reperiuntur, interdum plures, unus scilicet inter duos quosque flosculos.

Haec autem res, quid sit, aut unde veniat, inter auctores nullo modo convenit.

Plerique vero putant ipsum semen esse quasi

morbo corruptum, atque ex natura quodammodo mutatum.

Tessierius Rongieriusque graminum proprium esse dicunt; Tissotus, unius tantum inter haec, alteriusve, cui etiam placet rem, cujusmodi sit, in ipsis seminis primordiis, aliqua ex causa corruptis, consistere. Et itidem quid faciat, ut semen minus integrum sit, multum disputatum est. Dicebant antiquiores vermiculos esse, propterea quod hos intus nonnunquam reperiebant. Sed quum hujusmodi nihil omnino magna ex parte conspiciatur, omnes fere, nostro tempore, aera humidum in causa esse sentiunt.*

Contra autem Decandolio placet clavum ne semen quidem esse vitiatum, sed fungum sui cujusdam generis; idque his potissimùm causis, quoniam, sicut omnes alii fungi, ut aër, et solum humidissima sunt, ita maxime nascitur:

* Mem. de la Soc. Roy. de Med. 1777. Phil. Trans. vol. lv. p. 110. Read, Traité des Seigle Ergote.

deinde spicam nequaquam nigram facere possumus: tum herba non tota, sed ab aliqua tantum parte, afficitur: secalis denique adeo non proprius clavus esse videtur, ut omnia prorsum gramina infestet. Igitur non semen esse, ullo modo corruptum, arbitratur; sed fungum gramini adhaerentem, qui loco solummodo seminis crescere soleat. Quid? quod clavum dicit ex iisdem fere elementis constare, quibus ceteri fungi; semen secalis integrum ex toto diversis.

At huic tamen sententiae VAUQUELINUS, qui rem diligentissime perscrutatus est, minime assentitur; putat enim clavum nihil penitus esse, nisi ipsum secalis semen, quasi morbo quodam pestifero corruptum.

Imo et clavus speciem boni seminis tantum refert, ut suleulum, quod supra docuimus, omnium fere hujusmodi seminum communem, plane habeat: atque etiam, quod vel magis huc facit, nonnunquam accidit, ut superior tantum seminis pars affici videatur.

Haud alienum forsan erit, hoc loco quas in res clavum resolverit VAUQUELINUS, retulisse. Principia igitur sunt, quantum ille quidem assequi potuit—

1. Subfuscum quiddam, spiritu solvendum, oleum piscis alicujus tanquam sapiens.

2. Res alba, oleosa, dulcis; eadem, ut putant, quam Cornetus expressit.

3. Violaceo quiddam colore.

4. Acidum, quod quidem VAUQUELINUS in acido phosphorico ex parte consistere existimat.

5. Quiddam tum animalium tum arborum substantiam naturâ referens, ad putredinem admodum proclive, ex quo distillato multum et olei et ammoniae factum est.

6. Paululum ammoniae sincerae, gradu caloris 212° extrahendum.

Etsi vero, primo aspectu, hinc colligi potest, semen secalis bonum clavumque ne ex iisdem quidem principiis constare; tamen, cum illa clavi principia in eas res, quae in semine integro maxime abundant, converti possint, amylum nempe glutenque, nequaquam dubium est, quin ex majorum opinione, clavus prorsum nihil sit, nisi semen ipsius secalis aliquo quopiam modo vitiatum.

Et illud etiam magno argumento est, quod Americanus quidam nuper animum advertit, muscas cujusdam generis aculeos suos in semen secalis, adhuc incorruptum, nonnunquam infigere, atque hinc clavum fieri; quod itidem accidere dicit, si semen acu, simili modo, punctum sit.*

Sequitur, ut dicam quomodo clavus corpus afficiat.

Cum cibo commixtus aliquem gravissime

* Silliman's Journal of Science, vol. ix. p. 359.

vexat, quod equidem, cuicunque causae tribuendum videatur, nullus prorsum dubito, quin ab omni tempore identidem acciderit; siquidem nullum fuit tempus, quando nec herbae ullo modo vitiari possent, nec homines iis assumptis male afficerentur. Et enim, quamvis, haud ante seculum, post Christum natum, decimum septimum, morbi ex clavo assumpto venientes dilucide et plane depicti essent; tamen multa erysipelatis genera apud veteres scriptores reperiuntur, malis hujusmodi tam similia, ut eadem forsan recte existimari possint.*

Gallus quidam, nomine DODARTUS, primus morbum secali vitiato attribuisse videtur, ex quo tempore morbi επιδήμιοι in Gallia praesertim Germaniaque huic causae frequentissime referuntur.

Clavus, si longum servatus est, facultates suas penitus amittere dicitur: nam, ut docet

* Journal des Savans, 1676, vol. iv. p. 79.

Noelus, si quid mali, ex hac causa provenientis, cito post frumentationem homines invasit, tempore brevi intermisso, quamvis cibus clavum secum immixtum habeat, multo minus saevire solet morbus, donec tandem omnino desinit.*

Mullerus, qui de hoc morbo praeclare scripsit, dicit pauperculos eo frequentius graviusque tentari; quod quidem necesse est, cùm iis edendum sit, non quod velint, sed quod possint.†

Morbus in diversis hominbus diversus est; unde vero ita se habeat, non constat.

In inferiores potissimum corporis partes impetum facit, quod minime mirum videri debet, si et posituram respicimus, et quam sint a corde, vitae illo fonte, remotae.

Nec homines soli hoc malo afficiuntur; sed,

* Noel, Traité de la Gangrene Seché, in Quesnay's Journal. Paris, 1749.

† Muller, in Comment. Lipsiae, anno 1752, p. 634.

quemadmodum DODARTUS proposuit, atque omnes profecto, qui post eum rem experti sunt, pulli, gallinae, porci et alia multa animalia, clavo dato ex aequo moriuntur.*

Galli morbum in duas species dividunt; unam in qua convulsiones sint, alteram quae in gangraenam abeat. Haec multo gravior est, pendetque potius ex copia assumpta, quam corporis ipsius naturâ, quamvis huic etiam nonnihil aliquando tribui possit.

Primum de mitiori morbi specie agendum est. Hanc speciem et HOFFMANNUS et TISSOTUS describunt, at ille tamen melius.† CULLENUS sic eam definit "articulorum contractio spastica, cum agitatione convulsiva, dolore violentissimo, periodico." Multa nomina habet: appellatur enim a LINNAEO, *Raphania,* quo-

---

* Abbé Tessier Mem. de la Soc. Roy. de Med. 1776. Histoire de l'Acad. des Sciences, anneé 1710.

† Hoff. Med. Prac. vol. ii. p. 2, ch. 9, sect. 16.—Tissot, Epistolae Medico-Practicae.

niam morbum putabat ex *raphano raphanistro** assumpto oriri; item a Germanis *Kriebel Krankheit*, a Gallis *Ergotisme convulsif*, et *convulsion de Sologne*. CULLENUS, LINNAEUM secutus, idem nomen imponit: sed dubitat morbusne ille sit, quem SAUVAGESIUS necrosin ustilagineam vocat. Haec autem necrosis in altera specie recte comprehendi videtur.

ROTHMANUS morbum dicit in Suecia saepe ’επιδήμιον esse; seque, etsi tunc temporis novum malum vulgo existimaretur, eum apud multos, qui inter annos 1596 et 1727, vixerint, scriptores depictum reperisse. Haec species alterâ multo infrequentior est, quamvis non tantum in Suecia, sed etiam in Silesia, Prussiaque et Bohemia publice grassata est.

Dicitur viginti trahere dies, aut summum triginta; cum alvo vehementer cita, nervisque distentis, hominem brevi tollit.

---

* Pultney's View of the Writings of Linneus—Mem. de la Soc. Roy. de Med. an. 1776.—Rothman, Dissertatio de Raphania.

Srincus, qui morbum Wurtemburgi in Bohemia, anno 1736 saevientem vidit, eum optime pingit; morbus, ait, ab injucunda quadam pedum titillatione incipit; deinde calor circa praecordia sentitur; tum cito caput quodammodo afficitur, digitique tam arcte comprimuntur, ut eos ne validissimus quidem homo explicare possit. Aegrotus magnos gemitus edit, viresque ejus calor ingens manuum pedumque citissime tollit.

Nonnullis sudor per totum corpus perrumpit. Quando dolores sese remiserunt, caput gravius est, et saepe hominem tentat et vertigo, et caligines, ita ut res tanquam duplices conspiciantur. Is etiam mente labitur, praebetque nonnunquam ebrii speciem. Interdum vel mania vel melancholia accedit, interdum altus somnus premit. In posteriorem partem corpus flectitur.

Spuma ex ore fluit, modo flavi viridisve coloris, modo sanguine tincta. Lingua saepenu-

mero laceratur, adeoque tumida est, ut vox nullo fere modo audiri queat: salivâ vero magnâ copiâ profluente, ad justam magnitudinem brevi redit. Omnes, qui convulsionibus laborabant, morti succubuerunt: ii vero, quibus pedes, post titillationem istam, frigebant, distentione multo minus afflicti sunt. Ex quingentis, qui in hunc morbum inciderant, uni omnino pestifera ulcera fuerunt.

Haec in collo, subflavum quendam humorem reddebant; et ita mordebant, atque ingenti dolore vexabant, ut hominem brevi praecipitarent. Alteri in pedibus pulicum quasi vestigia erant; quae, non nisi sexaginta fere diebus intermissis, decesserunt: et item aliis plurimis, facies maculis hujusmodi conspersa est.

Motus arteriarum, cibique cupiditas erant, ut in sano homine solent.

Morbus interdum post dies quatuordecim cessit, interdum triginta, modo post sexaginta

dies, modo post ferme nonaginta, intervallis sese paululum remittens. Ex iis quingentis, trecenti mortem obierunt, quorum quidem pauci quindecim aetatis annos excesserant.*

BURGHARTUS quoque dixit quomodo morbus Silesienses infestaret. Primum enim nulla ratione levari potuit: interdum duos tresve menses, sine ulla intermissione, traxit, in iis potissimum, qui cibum et medicamenta refugerent. Quibus post convulsiones febris subfuit, sudore magna copia erumpente, iis facilius succursum est.

Paulo ante mortem in partibus omnibus extremis nervorum resolutio erat, hominemque animus reliquit, tanquam apoplexiâ correptum. Qui morbo supervixere, membra sua longo tempore imbecilla habebant, adeo ut nullo modo interdum moveri possent: nec quidem mens intacta evasit.

Anno 1597, Professores in Academia Mar-

* J. M. Srinc, Satyr. Med. Siles, 3.

purgensi naturam et indicia morbi, quem febrem pestiferam esse arbitrabantur, multis verbis exposuerunt: cibum in causa fuisse existimabant, sed de secali nullam mentionem fecere.

Rem bene explicavit GREGORIUS HORSTIUS qui morbum rei frumentariae inopiae attribuendum censuit. Multum a professoribus illis mutuatus esse videtur.* Item SENNERTUS, in libro quem *de Febre maligna cum Spasmo* conscripsit, professorum sententiae assentitur. Morbum proficisci putat ex humore quodam, cerebrum et nervos nescio quo modo vellicante.†

Sed autem inter medicos de morbis ex malo cibo provenientibus minime constat. GALENUS docet semina *Lolii Temulenti* cum tritico

---

* Greg. Horst. Opera, vol. ii. lib. 8, obs. 22.

† "Malignus autem ille vapor et humor ortum habuit ex victu pravo, dum ob annonæ caritatem, panem non bonum fructus corruptioni obnoxios, fungos et id genus alia, ad explendam famen pauperes devorabant. Ex quo victu pravo vitiosos humores in corpore collegi necesse est."—*Sennertus de Feb.* lib. 4, cap. 16.

conjuncta, capitis dolorem facere, et delirium et ulcera.* Et enim bene notum est, cuncta illa vitia secali pravo plerumque tributa, nonnunquam fieri, eaque validissima, quamvis nihil prorsus secalis assumptum fuerit.

Atque apud nostrates, aliquot abhinc annis, insigne morbi exemplum erat, ubi haud minimam secalis particulam sumsisset aliquis, siquidem herba ista in ea regione non nascebatur.†

Venio nunc ad alteram morbi speciem, necrosin ustilagineam a Sauvagesio appellatam. Ab iis, qui de morbis hujus generis scripserunt, haec species accuratissime optimeque depicta est: id quod pene necesse erat, quum, atrocissima et intractabilis, omnium in se intentos teneret animos.

Anno 1674 hoc vitium Montargienses in Gallia invasit. Illuc Dodartus, missu Aca-

* Galen de Aliment. Facultate, lib. i. cap. 37.

† Lond. Phil. Trans. vol. lii. et. lv. anno 1762.

demiae Scientiarum Regiae profectus, alios vertigine tentari, alios, pestifera urgente febre, profundo somno premi, alios quibus extremae corporis partes mortuae essent, reperit.

Prius autem quam venit gangraena, partes illae nonnihil torpebant, deinde dolere et tumescere coeperunt, idque profecto sine ullo inflammationis indicio; cutis frigida atque livida erat; gangraena ab interiore membrorum parte incipiebat, cutem aliquantulo post affectura: quapropter hanc, ut plurimum, incidebant medici, quo facilius, quam late gangraena serpsisset, viderent.*

Item anno 1709 morbus Genabi Gallorum ortus est. NOELUS ex valetudinarii in ea urbe Deo dicati chirurgis, quinquaginta amplius aegrotos curavit, sed horum tamen nonnullos parum feliciter.

Mortua membra arida, nigra, et livida erant.

---

* Hist. de l'Acad. des Sciences, année 1710.

Mors a pedum digitis semper coeperat sursum versus tendens, donec in paucis saltem usque ad femora pertinebat: quid? quod quatuor vel quinque erant, quibus ipsum etiam corpus morte corriperetur. Hi vero omnes perierunt. In aliis partes emortuae sua sponte disjungebantur; in aliis autem meta morti, incisa cute, medicamentisque loco injectis, posita est.

Aegrotantes omnibus ætatibus erant, nullae tamen feminae, praeter perpaucas, easque adolescentulas.

In ea regione, anno supra dicto, quarta secalis pars prava fuit: si quid ejus assumpsit aliquis, cito ebrii similis fiebat, morsque extremitates repente fere prehendebat. *

Langius, qui apud Helvetios medicinam faciebat, dicit morbum eos corripuisse anno **1717**. Malum a lassitudine incepit, nulla prorsus febre urgenti; mox extremae partes frigidae,

* Traité de la Gangrene Seché, par Mons. Noël.

pallentes, corrugatae, omnem sensum amiserunt. Dolores intus ingentes ægri conquesti sunt, quos quidem calor intendit; frigus, si modo magnum esset, levavit. His autem doloribus extremitates tandem correptae cito, aridae factae, moriebantur. Nonnunquam tota membra a corpore sine ullo sanguinis profluvio disjuncta sunt; atque etiam, quod mirum prorsus est, erant, qui vel isti crudeli disjunctioni multos dies superviverent.*

Sed ne perpetuum quidem morbus hac ratione saevire solitus est. Qui enim paulum hujus cibi capiunt, iis caput aliquantulo gravius est, et stupor quidam obrepit, usque eo ut, quemadmodum supra proposui, ebrii interdum videantur; id quod semper fere accidit, si panis recens est. Ex hac causa, secundum Salernum, aliquando fit, ut aegri, quomodo se habeant, nequaquam ostendere possint.

Quos ille tractavit, cutem, et praesertim tuni-

---

* Acta Eruditorum, 1718.

cam scleroticam, subflavi coloris habebant. Arteriae, etsi plenae essent, vix movebantur. Sanguis, incisa vena, crassus haud facile fluebat. Venter durus et tumidus erat: alvus tamen et urina ex natura reddebantur; nisi quod, paucis diebus ante mortem, alvus multum fluere solebat, magno simul urgente dolore. Per totum morbi tempus neque cibi fastidium erat, neque vigilia. Illud autem in primis nosse oportet, eos, quibus emortua membra abscissa essent, multo, quam alii celerius interiisse.*

Expedit, quod de hoc morbo JANSONUS Lugduni chirurgus nuper proposuerit, ostendere. Anno 1814, ineunte autumno, multis in Gallia locis morbus ortus est, potissimumque meridiem versus. Quadraginta curavit JANSONUS, quos inter tres omnino infantuli erant, totidemque senes. Tertia pars cibi, quem sumpserant, plusve, pravi istius generis erat.

---

* Hist. de l'Acad. des Sciences, 1710.

Quinque vel sex post diebus gangraena incepit, quae quidem in omnibus inferiores corporis partes, uno tantum excepto, occupavit. Pluribus digiti pedum soli morte correpti sunt; quinque aut sex ipse pes; octodecim totum crus, quorum tribus solummodo femora conservata sunt. Incipiebat morbus ab lassitudine quadam partium corporis inferiorum, cui paulo post tanti accedebant dolores, ut somnus penitus depelleretur. Multi viginti propemodum dies sic permanebant: gangraena autem appropinquante ingens frigus erat, magnique dolores; nec enim desinebant, donec linea quasi inter emortuam carnem vivamque conspiceretur. Phlyctenae cito apparent; cutis nigrescit; ulcera coeperunt, per quae videre est tendines, ligamenta, ossaque mortua. Ex his tantum aliquid profluit, quod et multum est, et foetidum. Partes emortuae durae, corneae, nigrae sunt, cutisque corrugata. Ossibus membrana sua ex aliqua parte haud adhaeret, crustaeque, nullo fluente sanguine, tolluntur; imo tota membra nonnunquam ita disjunguntur,

crepitu quodam tantummodo audito. In his aegrotis, nemo erat cui nervi distenderentur; nec plurima indiciorum, de quibus mentionem faciunt NOELUS, DUHAMELUS, et SALERNUS, provenerunt.

Medici igitur, de hoc morbo inter se plane dissentiunt, sive malum, re vera, haud semper idem sit, sive minus diligenter descriptum; quare mihi potius visum est, quod quisque protulerit, referre, quam libris evolvendis morbum ex mea ipsius sententia depingere.

Quomodo hos effectus corruptum secale edere possit, vix aliquis hoc tempore forsan est, qui dicere audeat.

Aegre ferendum est, quod corpora eorum qui hoc morbo mortui sunt, nunquam, quantum ego scio, scrutatus est aliquis.

In animalibus autem, in quibus eadem prorsus indicia erant, maculae aliquot nigrae, corporibus incisis, per intestina reperiebantur.

Quod tamen ad cerebrum pulmonesque pertinet, nihil constat.* Si quis dicet secale hujusmodi irritamen tanquam esse; illud nosse licebit, alia vel majora irritamina esse, quae ne hac quidem ratione corpus afficiant; unde plane videtur secale sibi proprium aliquid habere, nobisque penitus ignotum.

De loco autem, ubi morbus oriatur, si conjecturam facere audeam, mihi ex indiciis genus nervosum occupare videtur.

Nunc tandem ad curationem venio, quae utique, quum morbi natura ita in occulto posita sit, admodum difficilis est.

Medicamenta enim quae vomitus, alvumque movent, item ea quae totum corpus excitant et corroborant, frustra data fuerunt; nec magis prodest sanguinis detractio, quam, ut etiam altas cutis incisiones, praecipit TISSOTUS.†

---

* Mem. de la Soc. Roy. de Med. 1776.

† Tissot, Phil. Trans. vol. lv. anno 1765.

Sed, utut est, primum, si quis hunc pravum cibum assumpsit, eo uti desinendum est; deinde alvus cienda est, ut quidquid intus sit, ex toto evocetur. Si capite, ventriculoque aliquis multum laborat, sanguis e brachio, ipsisque affectis locis mittitur. Camphor autem ex aceto, multaque huic similia, sine fructu adhibita esse videntur.

Bardotus in dissertatione sua inaugurali dicit, Courhantum quibusdam hoc malo tentatis, cortice peruviano cum ammoniâ conjuncto, multum auxilii attulisse. Quinetiam partes ammoniâ ex aquâ lavit, et itidem ammoniâ cum cineribus.

Ille autem Courhantus pathologiâ humorum videtur esse imbutus, quum morbum acido cujusdam generis forsan tribueret, quod ammoniâ datâ reprimere vellet.

Bouchetus et Jansonus, Lugduni, quum membra ne mori quidem cessare, nisi dolore prius sublato, somnoque reverso, intellexissent,

POTTIANAM secuti rationem, terna vel quaterna opii grana singulis horis dedere. Hinc factum est, ait JANSONUS, ut dolores se remitterent, arteriaeque melius moverentur, et quod magis erat, cursui mortis modus poneretur. Partes emortuae abscindendae sint, relinquendaene donec per se separentur, minime convenit.*

DE MODO MEDICAMENTUM ADHIBENDI.

Longum jam tempus clavus ad uterum supra consuetudinem movendum, sive clam sive palam, datur; nec dubium est, quin pulveres quidam, ad hanc rem adhibiti, ex eodem clavo conficiantur.

PRESCOTTUS, medicus Americanus, ex iis esse videtur, qui primi hanc clavi facultatem exposuerint, rationemque utendi.

---

* Dict. de Med.

Facit enim, ait, ut uterus se magis contrahat, quo partus facilius celeriusque edatur. Post duas fere horas uterum afficere desinit ; sed medicamentum iterum datum vim suam pariter ostendit. In viginti mulieribus effectus modo intra quartam horæ partem, modo sextam, conspectus est ; in quatuor tantum nihil efficacitatis habuit. Drachmam clavi in quatuor aquae unciis decoxit, cujus tertiam partem quinta quaque horae parte dedit. Semuncia eodem modo data mulierem aeque afficit, sed aliquanto tardius.* Inter parturiendum clavus nequaquam adhibendus est, nisi os uteri jam apertum est, vel digito immisso dilatari potest. Vix necesse est medicamentum prohibere, siquando uterus se contrahendo nihil ad partum edendum valet. Idem Americanus dicit clavum sanguinis ex utero profluvium prohibere, quando quidem vel in iis, quae antea ex hac causa multum laborassent, nullus prorsus sanguis partum secutus sit. Et hanc rem ex

---

* Med. and Phys. Jour. Lond. Aug. 1814.

eo quoque compertam habet, quod clavum, paulo post mulier pregnans facta esset, ad sanguinem reprimendum feliciter adhibuit.

In nonnullis vix ullae post partum purgationes erant; imo in aliis nihil prorsus ejusmodi per multos dies descendit, sed res tandem bene vertit, mulieresque solito tempore sanitatem recuperavere.

Haec omnia alii, qui clavo usi sunt, confirmant. Sed autem velim adhuc plures rem experiri instituant; quum verisimile sit, nonnunquam clavo adhibito, uterum ne inde quidem, sed per se omnino contrahi; eventum nihilominus isti referri.

Chaussierus, qui in valetudinario quodam Lutetiae experimentum fecit, medicamentum paene inefficax esse dicit; siquidem multis datum esset, quibus auxilio postea per forcipem allato opus fuerit. At res tamen plane haud rejicienda est, quum aut mali generis fuisse, aut intempestive assumptum, probabile sit. Atque

illud certe medicamentum maxime commendat, quod recte adhibitum nec mulierem nec infantem male afficit.

FINIS.